



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Lobbetii Leodiensis E Societate Iesv. Specvlvm
Ecclesiasticorvm, Ac Religiosorvm.**

Lobbet de Lanthin, Jacques

Leodii, 1640

1. Officium boni Pastoris. Amor, & Caritas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47105](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47105)

I. OFFICIUM BONI PASTORIS.

Amor, & Caritas.

PRima lex Pastoralis officij, primaque cura debet esse impensa caritas, atque effusus amor sui gregis: ab hoc enim ceu fonte manant cætera, quæ bono Pastori incumbere videntur.

Hanc legem iam inde à primis sæculis agnouerunt atque inscripserunt Hebræi sapientes, apud quos Pastores dicti sunt *amatores*: eadem quippe voculâ significabant, & *Amatorem*, & *Pastorem*. Hebraicè enim Pastores dicebantur *Roghim*: amatores autem *Reghim*: eadem omnino litteræ, vna tantum differentia puncti: vt videas inter Pastorem, & amantem ouium, parum, aut nihil interesse: imò Pastorem vnâ etiam amantem esse oportere.

Ab hoc amore, qui Pastoris nomini insitus quodammodo, & innatus esse videtur, fluxit illud, vt Reges, ac Principes in sacris paginis sæpius Pastores appellentur.

Cuius appellationis ea ratio, quam affert D. Hieronymus. *Vt superbum nomen imperij, Pastoris vocabulo mitigetur.* Hoc nimirum sibi persuasit omnis ætas, Pastoris nomen amoris esse, eximiaque caritatis. Quam etiam iure commendauit Christus Pastorum princeps ter optimus, ter maximus: cum enim è toto discipulorum collegio Petrum sibi, suoque gregi adlegisset, priusquam eo proueheret dignitatis: ex illo etiam tertio quæsiuit.

*In c. 38.
Ezech.*

Io. c. 2. v. 25. Petre amas me? In quæ verba D. Gregorius Pontifex maximus. *Primò, inquit, ei dicitur: Petre amas me, ut per amorem agere fortia studeat; secundò, ut in contemplando alta cognoscat; tertio, ut perfecta caritatis affectu, & erga proximos ferueat, & ad speciem conditoris feruentius inardescat.*

Seruator noster, interprete Gregorio, tria spectasse videtur Pastorum officia.

Primum, altos, & heroicis animos, à quibus & agere possent, & pati fortia, quod erat amantium.

Alterum, ut sese terris eriperent, in cœlum euecti veluti remigio quodam altissimarum contemplationum.

Postremum denique, æstum aliquem, impetumque diuinæ caritatis, à quâ in proximorum cōmoda, atque salutem ferrentur toti, atque efferuescerent.

Serm. de tribus ordin. Eccles. Hæc lege, & tacitus apud te meditare quisquis es Pastor. *Iudica, inquit D. Bernardus, utrum possit hic conuenienter aptari trina Petri interrogatio. Amas me, amas me, amas me. Habes caritatem de corde puro, & de conscientia bonâ, & de fide non ficta. Hanc inquam si habes, tum à Christo in aurem tibi dici, etiam tertio patieris.*

Amas me, ac deinde audies & illud, *pasce agnos meos*, hoc est lactentes adhuc ac tenellos in fide pasce vberibus consolationis, & pota lacte doctrinæ sanioris; tum ad oues elabere, & in fide ac religione

gione firmiores, robustos atque adultos etiam foue,
ac recrea: sit, ut inquit Augustinus,

Sit amoris officium pascere Dominicum gregem, Tract.
Sicuti timoris fuit indicium negare Pastorem. 123.

Quod autem illud officium, & quam consummata perfectionis eâ, quâ solet eloquentiâ, persequitur; & ita Christi voce animarum Pastorem compellat. *Si diligis me, pasce oues meas, non te pascere cogita, sed oues meas: sicut meas pasce, non sicut tuas; gloriam meam in eis quære, non tuam; lucra mea, non tua.*

II. OFFICIUM BONI PASTORIS.

Vigilantia.

Celebrauit antiquitas nominatum illum Pastorem Argum, cui centum lumina cingebant caput: ea quamdiu fuere in suâ statione, & ipsi, & gregi fuit quàm optimè; at ubi coeperunt conuiuere somno, ubi sopiri, & claudi, tum verò cum Pastore, & ouibus actum quàm pessimè. Ita porrò illi Argo sopiti sunt oculi.

Eum fortè feriantem, ac vacuum à curis conuenit Mercurius, ac Venus: ille pro eâ qua erat eloquentiæ vi, blando sermone in aures, & animum illapsus, somnum ad sensus, ad oculos euocare cepit: Hæc autem suâ mollitiæ, solitiisque illecebris somnum excitauit magis, ac profundum soporem immisit: ubi ab illo clausi oculi, sopiti que